



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1679

Passio sancti Pontij martyris, auctore Valerio ejus contubernali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14735

VITA ET PASSIO SANCTI

Pontij martyris, auctore Valerio
ejus contubernali.

*Incipit prologus vite ac passionis sancti &
beatissimi Pontij martyris.*

Anno Chrifli
257.

Quis potest credere nisi Deo tribuente? Quis potest certamina subire nisi Domino adjuvante? Quis potest coronam accipere nisi Christo præstante? Ideoque ego indignus tanta gratia, qui cum Dei martyre & nutritus sum & studui, societatem verò ejus martyrij non merui percipere, tamen confessione ejus & labore credo mercedem me à Domino accepturum, quia omnia quæ de eo dicturus sum testificor coram Christo & angelis ejus & propriis oculis vidi & meis auribus audivi, & magnam partem cum eo, ut dixi, sustinui. Ideoque & vos quod fideliter auditis fideliter credite, ut fides vestra remunerationem percipiat cum sancto viro in resurrectione justorum. *Explicit prologus.*

Incipit passio beati Pontij martyris, secundo Idus Maji.

I. Fuit quidam senator urbis Romæ nomine Marcus, & uxor ejus nomine Iulia. Cùmque in uno conjugio perdurarent annis plurimis, & sobolem non haberent, nimio affligebantur tœdio, ita ut sine filiis deficere se crederent. Sed post annos viginti duos ex quo conjuncti sunt cùm filium excepissent, cœperunt pariter exultare & lætari. Post menses autem quinque cùm prægnans mater templa idolorum suorum cum viro suo portans dona & munera

circumiret, venit ad templum Iovis quod magnum vocabant. Quod cum ingrederentur, fortè sacerdos velato capite infulatus ad aras stabat. Qui arreptus à dæmone, apprehendensque velamen simul & infulam, cœpit eam minutatim scindere, voceque miserabili ejulans omne clamoribus templum complere, Hæc mulier, inquiens, eum in utero gestat qui templum hoc magnum funditus evertet, & deos ejus comminuet. Cùmque iterum atque iterum has repeteret voces, Marcus & Iulia hæc audientes, exsangues fugiunt in propriam domum; arripiensque Iulia saxum, alium suum lateraque tundens aiebat: Vtinam non eum conciperem per quem magnum templum & numina ejus erunt evertenda. Melius est ut ego ipsa cum hoc deficiam. Cùmque dies pariendi advenisset, edidit puerum honestum sine ulla macula; quem credebant tantis suppliciis maceratum, exanimem generari. Mater autem pueri Iulia interficere parvulum nitebatur. Cui Marcus pater ejus dixit: Sine, ne interficias eum. Si Iovis voluerit, vindicet se de inimico suo. Nos autem non iniciamus in eum manus nostras. Sicque conservatus est parvulus, quem ex genere suo Pontium vocaverunt. Vnde accidit ut in templa idolorum nunquam induceretur.

II. Sed cùm ad puerilem venisset ætatem, magnis doctoribus imbutus, omnium ferè philosophorum vel diversarum artium litteris ita pollebat ut copiam voluminum librorumque, quos bibliothecæ portare non poterant, in suo parvo corpusculo transfundens, omnia memoriter retineret. Factum est autem cùm quodam die diluculo surgens ad suum pergeret præceptorem, audivit in vigilia matutina Christianos, quibus præerat sanctus Papa Pontianus Ecclesiæ Dei sacerdos, psallentes & dicentes: *Domine Deus noster in cælo sursum est, in cælo & in* P sal. 113.

terra omnia quacunq̄ voluit fecit. Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non tractabunt, pedes habent & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo. Neque enim est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Quod cum audisset venerabilis puer, restitit, imoque trahens à pectore suspirium, & apud semetipsum diutissime inquirens quæ esset ista modulatio, compunctus Spiritu sancto, erumpensque in lacrymas, cœpit flere. Statimque elevans palmas in cœlum dixit: Deus, cujus laudem isti decantant, ostende mihi notitiam tuam. Et accedens ad ostium, crebris quatiebat illud pulsibus. Cùmque de superioribus eum per fenestram respicerent, dicunt sancto Pontiano Episcopo: Ecce parvulus quidam pulsat januam. Papa autem Pontianus revelante sibi Spiritu sancto ait: Aperite ei, & finite eum venire ad nos. Talium est enim regnum cœlorum.

III. Venerabilis autem Pontius relinquens pedagogos suos in vico, & assumens secum unum adolescentulum qui cum eo studebat nomine Valerium, ingressus est. Cùmque ascendissent in cœnaculum, & vidissent eos sancta celebrare mysteria, declinaverunt in locum quoadusque dominicum consummasent officium. Tunc venerabilis Pontius accedens ad pedes sancti Pontiani Episcopi, osculabatur eos cum lacrymis dicens: Rogo te, sanctissime pater, ut ostendas mihi carmen quod paulò antè psallentes dicebatis. Dominus Deus noster in cœlo est. Simulachra autem gentium muta & cœca & surda sunt. Non odorant, neque palpant manibus suis. Et quod nobis pejus est, audivi vos dicentes: Similes illis fiant om-

nes qui confidunt in eis. Tunc dicit ei sanctus Pontianus Episcopus. Scio fili quia Deus cor tuum illuminavit, ut eum inquiras. Ergo non tibi videntur omnia figmenta ex metallis facta, sive aurea sint vel argentea aut ærea, ex terra sumpta? Quis non intelligat lapideas statuas ex rupibus excisas, & in carucis impositas, & à bobus tractas, & sic demum in foro esse positas? Ista non sunt dij, sed è terra orta sunt, & paulò post in terram revertentur. Deus autem noster, in quo speramus, in cælo est, qui non carneis oculis, sed cordis videtur obtutibus. Nam quod videt quis quid sperat? Tunc beatus Pontius respondens dixit. Domine mi pater, quis nesciat omnia ista esse sine anima & sine nutu? Nam per omnes vicus vel plateas, non dicam in foro, in templis, in capitolio, tanta multitudo inesse noscitur ut penitus numerari non possit, & sic diversis modis instituta ut artificum reperit sapientia. Quis autem non videat in viis ea posita ferro & plumbo firmata ne vento subversa conterantur? Nam sæpe cognovimus ab hominibus ea furata & à prædonibus invasa. Et quomodo homines à malis custodire poterunt quæ ab hominibus & custodiuntur & furantur?

IV. Audiens hæc sanctus Pontianus Episcopus miratus est quòd talis ratio ex puero procederet, & tenens ejus manum, voluit eum secum sedere. Tunc beatissimus Pontius dixit. Si cum vaniloquis & inania docentibus sedere non audemus, quomodo cum homine Dei viam veritatis pro itinere erroris, lucem pro caligine demonstrante sedebo? Sanctus Pontianus Episcopus dixit. Magister noster & doctor Dominus Iesus Christus talem doctrinam nobis donavit ut omnes in ipso unum simus & alter alteri quod sibi desiderat tribuat. Rursumque dixit ei. Estne tibi pater aut mater? Venerabilis Pontius dixit. Mater mea ferè biennium est ex quo mortua est;

pater verò meus superest senior & grandævus, & me unico gaudet filio. Sanctus Pontianus Episcopus dixit. Christianus est, an gentilis? Beatus Pontius dixit eum pessimum & perversum in cultura dæmonum suorum esse ultra omnes homines. Sanctus Pontianus Episcopus dixit. Deus, qui cordis tui oculos nullo homine cogente illuminavit, potens est & patris tui perversitatem corrigere, ut per te immortalem vitam discat per quem tu in hanc vitam mortalem venisti. Rursumque addidit. Tu autem, fili mi, adquiesce mihi, & crede Christo, & accipe baptismum regenerationis, per quem possis ardorem ignis æterni extinguere.

V. His & aliis quamplurimis verbis exhortans eum per trium horarum spatium, demonstravit ei regnum Domini nostri Iesu Christi. Tunc catechizavit eum & puerum illius, & permisit abire. Illi autem egressi ibant sicut agni pleni pascuis, exultantes & lætantes quòd invenerint salutem animabus suis. Sicque quotidie veniebant ad hominem Dei, audientes ab eo doctrinam salutis. Beatus verò Pontius adhuc catechumenus tanto alacriter divina aggressus est præcepta ut justè in eo impleretur quod ab Apostolo dictum est: *Vbi abundavit iniquitas, superabundavit gratia.* Cùmque hora regrediendi adveniret, valefaciens honorificè sancto Pontiano Episcopo & omnibus sanctis qui ibi aderant, pergebat ad patrem suum.

VI. Cùmque venisset ad patrem suum, dicebat ei pater ejus. Percepisti aliquid à præceptoribus tuis, fili mi? Beatus Pontius ait. Nunquam meliùs audi vi à magistris meis quàm hesternæ die vel hodie, omnibus diebus quibus in studio fui. Pater autem ejus audiens hæc gaudebat, sperans eum vanam philologorum audire sectam.

VII. Beatus verò Pontius quærens opportunitatem

tem ut & patrem suum Christo Domino sectum credere faceret, die aliqua dixit patri suo. Domine pater, audio à multis hominibus quia dii quos colimus inanes sunt, ita ut nullam in se, ut perhibent, maiestatem possideant, sicut & nos ipsi ex parte perspicimus. Et quidem liniamenta membrorum cuncta habent, sed ad nullos usus apta. Nam quandocunque quis voluerit, inducto apud se artifice, prout substantiam habuerit, sibi & deos facit, unus ex auro, alius ex argento vel ære, aut ex quibuslibet metallis. Rogo te, dic mihi si aliquando audisti quòd ij qui in domo nostra sunt virtutem aliquam ex quo facti sunt ostenderint. Marcus pater ejus respondit: Nunquam. Beatus Pontius dixit. Ergo ut quid eos sacrificiis & thure honoratis? Pater autem ejus indignatus contra eum, cum ingenti iracundia, ita ut gladio eum vellet percutere, dixit. Injuriam diis meis facis? Post paululum sedato furore, dixit ad filium suum. Ergo, fili, sine diis & sine sacrificio in omni urbe nos soli erimus? Beatus Pontius dixit patri suo. Multi sunt in hac civitate qui verum sacrificium Deo vero offerunt. Marcus pater ejus dixit. Et tibi eos reperiemus? Beatus Pontius dixit. Præcipe ut eam & adducam tibi virum qui omnia tibi lucidiùs demonstret. Dicit ei pater ejus. Vade fili mi. Tunc beatus Pontius conversus ad Valerium adolescentem, dixit ei. Hæc est mutatio dexteræ excelsi. Statimque perrexit ad sanctum Pontianum Episcopum, & introduxit eum ad patrem suum, qui omnia sacramenta veritatis ei demonstravit. Dei autem misericordia credidit Marcus beati Pontij pater, & simul cum sancto Pontiano Episcopo & filio suo omnia idola manibus suis confringens, baptismi gratiam cum eodem filio vel omni domo sua suscepit.

VIII. Non post multum verò temporis pater beati Pontij defunctus est. Et tunc venerabilis puer

accepta libertate, erat enim annorum viginti, venit ad virum Dei, & narravit ei omnia quæ acta fuerant, & de patre suo. Post menses sex apprehensus à militibus beatus Pontius & in curiam perductus est, cui etiam locum patris sui nolenti & repugnanti designant. Hoc autem non sine divina providentia fiebat, quia per beatum Pontium non solum Romana plebs, sed & ipsi Principes Christo credituri erant. Talem verò gratiam Dominus sancto Pontio contulit ut in omni curia vel palatio ab omnibus specialiter diligeretur.

IX. In ipsis diebus sanctus Papa Pontianus gloriosa morte migravit ad Dominum. Post quem Antheros præfuit Ecclesiæ mense non amplius uno. Deinde Fabianus in pontificatum succedens, ita beatum Pontium ut verus pater verum filium diligebat. Sanctus autem Pontius jam perfectus in Domino, omnes facultates suas accipiens, beato Fabiano Episcopo tradidit, & eas pauperibus distribuit, maximè ad domesticos fidei.

X. Nunc autem qualiter primus omnium Imperatores Christianos fecerit, aut quomodo cum diabolo certaverit victor existens, vel palmam martyrij sumpsit, non tacebo. Temporibus Philippi Imperatoris, qui cum filio Philippo Romanum regerebat imperium, fuit his Philippis amicus beatus Pontius Christianissimus & omnium divinarum litterarum doctissimus. Cùmque gratia individua in eis esset, tertio imperij eorum anno, expleto millesimo anno à conditione Romæ, cùm diis suis sacrificandum pergere vellent, dicunt beato Pontio. Eamus, & repropitiemus nobis deos magnos, qui nos in istius millesimi anni circulum natalis Romæ perduxerunt. Quos beatus Pontius diversis excusationibus declinare nitentur. Imperatores verò velut amicum ad sacrificandum cogebant. Beatus autem Pontius cog-

noscens à Domino datam sibi occasionem, aiebat. O piissimi Imperatores, cum sitis à Deo Principes ordinati hominum, cur non ei qui vobis hunc honorem præstitit cervices flectitis & ipsi soli sacrificium laudis offertis? Philippus Imperator dixit. Propterea & ego magno deo Iovi sacrificium offerre desidero, qui mihi hanc tribuit potestatem. Beatus autem Pontius subridens dixit. Ne erres, Imperator. Est Deus in cælis, qui cuncta unico verbo suo constituit, & Spiritus sancti gratia animavit. Philippus Philippi Imperatoris filius unà cum patre dixit. Qua animi intentione ista referas ignoramus. Beatus Pontius dixit. Numquid ab initio Iovis fuit? Imperator dixit. Non, quia Saturnus pater ejus antiquior illo est, qui populos Italiæ tranquilla moderatione gubernavit. Beatus Pontius dixit. Et quando Saturnus Cretæ regnabat, antequam à Iove filio de regno pelleretur, numquid Italia populos non habebat? Nonne statim ut expulsus est, sicut litteræ vestræ declarant, hospitio est receptus? Rursumque addidit. Piissimi Imperatores, ne seducamini in vanis poëtarum figmentis. Vnus est Deus in cælis pater omnium, qui cum filio suo & Spiritu sancto omnia quæ fecit sua potestate continet.

XI. Imperator dixit. Si unus est Deus quem in cælis esse asseris, cur & filium eum habuisse commemoras? Beatissimus Pontius dixit. Vnus est Deus, quem sæpe testatus sum, qui fecit cælum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt. Postremò fecit hominem immortalem ad imaginem & similitudinem suam, & cuncta quæ in terra & quæ super terram vel deorsum morantur in aquis potestati subjecit hominis. Diabolus autem de cælo projectus, videns in tanto honore hominem positum, invidia ductus, homini persuasit ut ingratus vel inobediens ei qui omnia illi subdidit existeret. Quo facto, immortalitate qua

indutus fuerat expoliatus, mortem per inobedientiam cum sua omni prole sibi met ipsi inflixit. Nam & diabolo ut semel hominem elideret parum visum est, sed idola, quæ nunc deos dicitis, ipse adinvenit, ut genus humanum in toto à creatore suo separaret. Sed pius Dominus nolens fabricam imaginis suæ perire, unicum verbum suum, per quem omnia quæ in cælis & quæ in terra creata sunt, ad terram de cælestibus thronis mittere dignatus est: qui carnem immaculatam pro nostra salute ex virgine sumens, venit homo ut lapsum hominem reformaret & diabolum cum suis ministris igni perpetuo deputeret. Nam cum multa mirabilia in terris ostenderet, quæ nunquam talia visa sunt, scilicet ut cæcos à nativitate sua illuminaret, paralyticos, qui per multorum temporum spatia arentibus membris corporali virtute destituti erant, pristina restitueret sanitati, leprosis putridissimis comestisque atque foetentibus carnibus nitorem cutis mirabiliter restauraret, mortuos & quadriduanum præsentem omni populo suscitaret, & alia multa mirabilia quorum non est numerus faceret, (Quippe quid non reformaret qui omnia formaverat?) Iudæi verò non credentes, sed potius invidentes, tradiderunt eum Pontio Pilato Præsidi, & eum qui pro salute eorum venerat cruci affixerunt, quem Deus suscitavit tertia die à mortuis, & post dies multos post resurrectionem suam cum hominibus conversatus est, mortem verò, quam diabolus hominibus intulit, moriendo occidit, & vita sua resurrectionem nobis donavit; ut quemadmodum ipse post istam mortem resurgens jam non moritur, ita & nos post hanc vitam parvam & miserabilem resurgentes, in æternum cum illo vivamus. Nam ascendens in cælum, iter vitæ cælestis monstravit. Unde si quis hanc salutem neglexerit, cum diabolo in æternum damnabitur. Si quis autem crediderit, cum Christo in cælestibus regnis permanebit.

XII. Cùmque his & aliis multis pro salute eorum disputaret verbis, Dei voluntate Imperatores crediderunt, & eum deprecabantur ut mysterium hujus salutis superveniente die eis plenius aperiret, & qualiter ignem perpetuum evadere & immortalitate cum sanctis sine fine perfrui possent. Et quidem ex illa die & deinceps sacrificia idolorum declinantes, spectacula tantùm pro conclusione millesimi anni, quo natalem urbis celebrabant, fieri imperaverunt.

XIII. Tunc beatissimus Pontius ad Episcopum urbis Romæ nomine Fabianum, qui Ecclesiæ Dei præerat, convolavit, & omnia ei ex ordine pandit. Tunc sanctus Papa Fabianus cadens cum eo in orationem dixit. Domine Iesu Christe, gratias ago nomini tuo, qui per famulum tuum Pontium Imperatores populi Romani ad tuam notitiam perducere dignatus es. Alia verò die cùm simul ad Principes venissent, & sacramenta eis divina demonstrassent, baptismi gratiam consequuti sunt. Quæ tunc illi civitati lætitia fuerit, quæve exultatio repentina supervenerit, quis poterit enarrare? In initio autem templum quod magnum vocabant ex jussione Imperatorum arripientes sanctus Fabianus & beatissimus Pontius, ac confringentes omnia ejus sculptilia, simul cum templo funditus subverterunt.

XIV. Ita factum est ut omnis populus ad notitiam Domini nostri Iesu Christi cum alacritate & gaudio concurreret, & baptismatis unda perfusi Domino benedicerent. Nam ubi demonum templa destruebantur, ibi ilico Ecclesiæ consurgebant. Ecce quanta contulit Dominus Pontio famulo suo, ut ante omnes homines Principes totius orbis Christo acquireret, & ipse, qui secundùm seculi dignitatem Consul ad suffragia populi expetebatur, humanis spiritualiter consulens, lucem eis veritatis demonstra-

ret. Hoc autem factum est per annos quatuor quibus Philippi Christiani Imperatores Romanum populum continebant.

XV. Dominus autem volens Ecclesiam suam ut aurum purissimum probare, paleas autem & stipulas igne cremare, post Philipporum mortem permisit ut imperium suscipere Gallus & Volusianus filius eius: qui cum in cultura dæmonum imperarent annos duos & menses quatuor, succedunt eis truces & Ecclesiæ Dei persecutores Valerianus & Gallienus, qui mox arrepto imperio pestiferis edictis per universum orbem propositis statuerunt ut si quis Christianos apud se retineret, & non eos statim proderet, easdem qua illis parabantur lueret pœnas. Omnes namque Ecclesiæ filij post quietem tranquillam sævissimis procellis quatiebantur. Cumque beatus Pontius hoc comperisset, paulisper in urbe sese occultavit. Sed cum tutissimum locum ad latebras sui perfugij fruendas minimè reperisset, maximè quia eum idolorum sacerdotes, qui sua templa funditus ternebant everisa, insequiebantur, tandem urbe egressus non sine dominico præcepto qui dixit, *Et si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam, & iterum, Spiritus quidem promptus, carne autem infirma*, fines Italiæ transiens, urbem sub jugo Alpium procul sitam petiit nomine Cymelam.

Math. 10.

Math. 16.

XVI. Sed cum perseveranter impiissimorum tyrannorum præcepta insisterent crudelia, & Christianorum nomen radicitus vellent exterminare, & Satanæ ministros per omnes provincias cum militibus præfecissent, Claudius Præses cum Anabio assessore Galliarum partium principes deputantur. In principio autem itineris sui suprascriptam civitatem Cymelam ingressi, sacrificium dæmoniis reddiderunt. Et mox in foro tribunal sibi præparantes, jusserunt ut Christicolas, quoscunque reperissent,

fuis repræsentarent obtutibus. Cùmque beatus Pontius ante tribunal perductus fuisset, sedens Claudius pro tribunali cum Anabio sub voce horri-sona dixit. Adducatur Pontius. Ex officio dictum est. Præsto est. Tunc Claudius Præses dixit. Tu es Pontius, qui urbem Romam per nescio quam seductionem conturbasti, insuper & piorum Principum mentes abalienasti? Beatus Pontius respondit. Ego neminem turbavi neque subverti, sed ab errore dæmonum ad Deum verum converti. Præses dixit. Audientes de te Domini mei Principes Valerianus & Gallienus, eò quòd nobili familia sis ortus, præceperunt ut diis immoles. Sin autem, cum personis dedecoris & vilibus diversis adficiaris pœnis. Beatus Pontius respondens dixit. Non immolo, quia Christianus sum. Præses dixit. Consule animæ tuæ, ne & tu pereas, & patrimonium tuum dissipetur. Pontius beatissimus martyr dixit. Consolator meus Christus est. Patrimonium terrenum si perdidero pro Christo, æternum adquiram, ubi non censum terrenum sed claritatem cum sanctis angelis merebor. Claudius præses dixit. Quid mihi per ambages verborum cursitas? Aut sacrificia diis, aut carnes tuas diversis pœnis faciam dissipari. Pontius beatissimus martyr dixit. Iam tibi dixi quia Christianus sum, nunquam sacrificabo dæmoniis.

XVII. Tunc Præses jussit eum vinctum catenis in carcerem trudi quousque ad Imperatores de eo relationem misisset, dicens. *Dominiis piissimis atque invictissimis triumphatoribus semper Augustis Valeriano & Gallieno Principibus. Nos servi vestri ingredientius initium Galliarum, invenimus Pontium, qui dudum urbem Romam conturbavit & multa templa deorum subvertit, fugientem vel inobedientem praeceptis vestris. Et quia est de primis in palatio senatoribus, fecimus eum in carcere recludi.*

quoadusque vestra deliberatione censeatis quid de illa nos oporteat facere. Tunc Valerianus & Gallienus præceperunt dicentes. *Hoc jubet pietas nostra, ut si sacrificare noluerit, habeatis licentiam qualicumque vultis eum tormento interficere.*

XVIII. Tunc Claudius Præses produci eum iussit è carcere, cui & dixit. Audi Dominorum tuorum salutaria præcepta, in quibus te iusserunt aut diis cerimoniari, aut inter damnatitios diversa pati tormenta. Beatissimus Pontius respondit. Ego dominum non habeo nisi unum Dominum meum Iesum Christum, qui potens est me de his quæ mihi minaris liberare tormentis. Claudius Præses dixit. Miror te virum potentem ad tantam humilitatem temetipsum inclinare ut tuum dominum vocas hominem pauperem & sine honore, quem Pilatus Præses nostri ordinis atque officij pro nescio qua accusatione dicitur interemisse, & non potiùs hos dominos vocas qui summum rei publicæ apicem moderabiliter continent? Pontius sanctus dixit. Et ego miror te hominem rationabilem factum ad tantam dementiam devenisse ut non cognoscas eum qui cæli & terræ possessor est pro tua salute pauperem non dedignatum esse, & illum qui in cælis ab angelis honoratur sine honore audere dicere? Nam quod à Iudæis accusatus & à Pilato Præsede est crucifixus, hoc voluntariè pro nostra salvatione, non ex necessitate, fecit, ut tu ipse perhibes. O si velles huic tali Deo temetipsum humiliare, statim mentem tuam ad cælos erigeres, & cognosceres te cum diis tuis, quos dæmones esse manifestum est, in profundo tenebrarum jacere. Nam Principes tui, quos rem publicam dicis moderari, non solùm ipsi in perditionem vadent adorantes ligna & lapides, insuper & populum qui eis subjectus est secum attrahent. Vnde cognoscatis quia si in hac perfidia

permanferitis, de isto seculo opprobriosissimè exhibitis, & in die iudicij cum diis quos dicitis in æterna damnatione eritis.

XIX. Tunc furore repletus Præses, exclamans licitoribus ait. Præparate omnia tormenta, equuleum, unguam, faculas, cardum, nervum, & si qua sunt alia, ut insipientia ejus manifestetur omnibus. Ministri dixerunt. Parata sunt omnia. Claudius Præses dixit. In equuleo aptatus distendatur, ut omnia tormenta per membra ejus discurrant, & tunc videamus si Deus ejus eruet eum de manu mea. Cùmque equuleo aptaretur, beatus Pontius dixit. Licet incredulitas tua impossibilem Dominum nostrum dixerit, ego tamen in nomine Domini mei Iesu Christi credo quòd pœnæ tuæ ad nihilum redactæ nullum corpori meo dolorem incutient. Cùmque equuleo tenderetur, & ministri vectibus impositis trochleam retornarent, cum magno sonitu equuleus confractus est, ita ut in pulverem redactus non compareret, & exanimes repentino fragore, qui ibi aderant, redderentur. Sanctus verò Pontius lætus & sine ullo terrore dixit. Vel nunc incredule disce quia Deus noster potens est pios de tentatione eripere, vos autem iniquos in die iudicij igni perpetuo deputare.

XX. Claudius autem Præses ultra solitum terrorem indignans conturbabatur. Tunc Anabius affessor dixit Præsidi. Sapientissime virorum, adventantibus nobis adducti sunt duo ursi ex Dalmatiæ montibus miræ magnitudinis. Præcipe ergo parari amphitheatrum, ut ab eis devoratus, non habeat sepulturam. Iussu Præsidis præparatur amphitheatrum, & beatus Pontius in arena deponitur. Statim egressi duo venatores cum taureis & nervicis secundum consuetudinem, cùm stetissent in media arena & sancto Dei provecassent ursos, illi exeuntes de

caveis singuli utrosque venatores arripuerunt, & ita eos discerpserunt ut penitus qui fuissent non compareret. Tunc venientes ad sanctum Pontium, non ausi fuerunt propius accedere aut pedes martyris oculari propter paganorum cruorem, sed paulò longius procumbentes, nihil sancto martyri permitti sunt lationis inferre. Tunc clamor populi in cœlum tollitur. Gentiles omnes clamabant. Unus est Deus Christianorum, quem Pontius colit.

XXI. Tunc demum efferatus Præses superbia, & rabidis vocibus concrepans, clamare cœpit & dicere. Nunc nunc afferte copiam lignorum & omne quod fomiti ignis augmenta præstare potest. Et si nescio quibus incantationibus, ut solet Marforum ars serpentium mitigare iras, iste usus est, nunc videbo si igni imperare potest. Beatissimus Pontius respondens dixit. Numquid objectum criminis apud me reperisti, ut his me truces flammis? Sed te trucidet ignis æternus, ignis inextinguibilis. Potens est Deus meus, qui tres pueros de camino ignis eruit illæsos, & me liberare. Aggregata autem multitudine lignorum, iussit sanctum Dei tyrannus vinciri manibus pedibusque catenis, & in media arena statui, multitudinem verò lignorum in circuitu ejus extrui, ignemque supponi. Cùmque factum fuisset, ignis gyrans flammis in sublime arenam atque contorquens, plusquam fastigium clusit amphitheatri; consumptisque omnibus quæ pabulo ignis fuerant præparata, ita sanctus Deus ab omni ardore apparuit illæsus ut nec saltem fimbriam vestimenti ejus læderet.

XXII. Tandemque Præses victus atque confusus dixit. Numquid omnia genera tormentorum superasti, & ideo gloriaris nunc quòd reliqua evadas tormenta? Ecce proximum venerabile Apollinis templum. Accede, & sacrifica. Beatus Pontius di-

xit. Sacrifico ego corpus meum Domino Iesu Christo, quod hæctenus à pollutione idolorum immaculatum custodivi. Nam vobis & Principibus vestris citò superveniet ultio divina, quia injustè persequimini servos Christi. Licèt non tibi Dominus permisisset ut maculam corpori meo inferres, tamen applica quæcunque volueris tormenta. Tunc Præses videns constantiam ejus, callidè dixit ad eum. Et quidem nos à te oportuit judicari, sed secundùm clementiam tuam tu à nobis judicaris. Et cùm sis primus senatorum, in spe nescio qua vana confisus, & potestatem & divitias amittis. Pontius sanctus dixit. Potestas hujus seculi vel divitiæ similis est nebulæ matutinæ, quæ in oculis hominum videtur terras montesque vel maria cooperire, quam si ventus perflaverit, statim in momento temporis, quasi quæ non fuerit, penitùs evanescit. Nam gloria & honor quæ concupisco in æternum permanent.

XXIII. Tunc Iudæi qui ad spectaculum amphitheatri convenerant clamare cœperunt & dicere. Occide, occide maleficum. Beatus autem Pontius elevans manus in cælum dixit. Gratias ago tibi Domine, quia sicut patres eorum de Christo tuo clamabant, Crucifige, crucifige, ita & isti in me eisdem insistent vocibus. Tunc inflammatus Præses à diabolo exclamavit & dixit. Non mihi soli, sed & Principibus meis multas fecit injurias. Tunc decretum dedit dicens. Ducite eum, & in saxo qui rivulo imminet decollate, corpusque ejus deorsum mittite. Cùmque factum fuisset, sanctus ac venerabilis Pontius martyrium suum Domino consummavit, & cum palma victoriæ anima ejus cælos petiit.

XXIV. Non multo pòst tempore completus est sermo quem sanctus Pontius prædixerat. Valerianus scilicet Imperator in captivitatem ductus à Sapore Rege Persarum, non gladio, sed ludibrio omnibus

Vide Lactanti
c. 5. de perfec.

diebus vitæ suæ merita pro factis percepit, ita ut quotienscunque Rex Sapor equum conscendere vellet, non manibus ejus, sed incurvato dorso & in cervice ejus pede posito, equo membra locaret. Gallienus verò cum Mediolanum intrare vellet, à militibus suis comprehensus, gladiis est confossus. Claudius autem Præses & Anabius assessor eadem hora qua sanctus Pontius decollatus est, arrepti à dæmonibus suffocabantur. Nam Claudius linguam sibi morsibus minutatim incidit. Anabij verò oculi è suis concavis vi doloris evulsi, pellibus tenuissimis per ora pendebant. Sicque factum est ut in momento temporis uterque expiraret. Ob hoc factus est timor magnus Iudæis ac gentibus & omni illi civitati, ac sepulchrum sancti Pontij martyris admirabili venerabatur honore.

XXV. Iuvenis quidam Valerius, qui cum eo fuerat nutritus, timens corpus ejus metu gentilium auferre, per noctem in eo quo jacebat sepelivit loco. Gesta verò martyris ab exceptoribus pecunia redimens & secum tollens, reperta navicula in Libyæ partes causa persecutionis declinavit. Dominus autem suscepit martyrem suum in pace, cui est honor, gloria, potestas, & imperium in secula seculorum. Amen.

Explicit passio beati Pontij martyris.

